

/ Reverende Pater. Cognovi ex litteris tuis desiderium bonum, quo flagras, perfectionis monasticae in te, et reformationis in aliis. Utinam multos tales haberemus: non enim esset difficile redire ad primordia illa sanctitatis, quam in sanctis Patribus suspicimus, et
5cujus nunc vix vestigia invenire possumus. Ego quidem bonam voluntatem habeo adjuvandi reformationem Congregationis Caelestinorum meae protectioni commendatae; nec desperare volo, quia non est abbreviata manus Domini. Interfui ante duos annos Capitulo generali, et tum publicis, tum privatis exhortationibus effeci, ut eligerentur
10Abbas Generalis valde bonus, et meo judicio optimus eorum, qui aderant; et persuasi, ut haberetur diligentissima cura Novitiorum; ac ut id facilius perficeretur, omnes Novitios per Monasteria totius Italiae dispersos, ad Monasterium Abbatiae principalis revocavimus, ubi semper viguit observantia regularis; et Magistrum Novitiorum
15Romam adduxi, ut per aliquot dies versaretur in Collegio Novitiorum Societatis Jesu, et non solum exercitia spiritualia ipse faceret, sed etiam videret omnem praxim institutionis Novitiorum, qua utitur Societas nostra. Itaque speramus hanc Novitiorum institutionem fore seminarium reformationis. Hoc dicere volui, ut intelligat Reveren-
20tia Tua mihi valde probari quod R.P. Provincialis instituit in istis partibus; et quod te in primis deputaverit ad onus Novitiorum instituendorum, quo nullum hoc tempore magis necessarium existimo. Itaque bono animo sis, et strenue in hoc munus incumbe: vel enim ex hoc labore tuo fructus desideratus reformationis nascetur, vel cer-
25te tu magnam a dDomino Deo accipies mercedem, vel, quod magis opto, utrumque bonum succedet. Vale Reverende Pater, et me apud dDeum precibus tuis jura. Romae die 4 Augusti 1614.